Rel. in Pub. Schools

# ILLUSTRIS MOLDANI

DEDICATI ANTE HOS CCXCVI. ANNOS

# MEMORIAM ANNIVERSARIAM

D. XIV. SEPTEMBRIS

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

**Dr. EDUARDUS WUNDERUS,**

RECTOR ET PROFESSOR PRIMUS.

---

Inest

*Augusti Friderici Mülleri,* colleg. VII., dissertatio, qua exponitur: Christianam educationem niti debere in ecclesiae confessione.

---

TYPIS OFFICINAE GRIMENSIS.

1846.

# Christianam educationem niti debere in ecclesiae confessione.

Quae multae sunt quaestiones nostra memoria positae, ex iis vix ulla est dignior, in quam accurate inquiratur, quam quaestio de ratione, quae intercedat ecclesiam inter et scholas, quibus iuvenes erudiuntur summos olim reipublicae ecclesiaeque honores gesturi. Quae quidem ratio qualis esse debeat, vix dubium videri possit, si quis ipsam rem spectaverit. Nam, ut silentio transeam, evangelica Germaniae gymnasia longe plurima eum in finem esse constituta, ut cum sedes ac domicilia literarum, tum seminaria ecclesiae ac propagatores et conservatores verae doctrinae essent*), ipsa notio christianae educationis, quae id sectari debet, ut scholae alumni in commu-

*) Nostra schola provincialis, quod a me hic narrari lectores non taedebit, ita est condita: „Convocavit Mauritius, princeps elector Saxoniae, ann. 1549 ordines provinciarum et praecipuos theologos suos Grimam, ut librum *Interim*, ab Imperatore Romano instinctu pontificiorum inductum examinarent, suamque voluntatem et mentem aperirent: utrum hunc librum, qui capita doctrinae et rituum continebat, recipere vellent an minus? Qui omnes et singuli suadentibus et urgentibus genuinis theologis, fide interposita, se invicem obstrinxerunt, et confirmarunt, nunquam futurum, ut Interim recipiant, simulque Mauritium submisse implorarunt, ut sibi gratiose permitteret libertatem, reiecto libro Interim, veram et incorruptam doctrinam conservandi. Quibus verbis commotus ornatissimus hic princeps *suam pariter fidem et constantiam verae religionis omnibus suis probavit civibus, et promisit, se in huius rei certitudinem tertiam scholam provincialem,* in usum electoratus, *aperturum esse.* Audito hoc laudabili Mauritii instituto senatus Grimensis, qui eo tempore in arce Grimensi circa Mauritium erat, omnibus precibus ab electore contendit et consul eo tempore, Sebaldus Mullerus, rogavit, ut in sua urbe (Grimae) in coenobio Augustiniano hanc scholam aperiret“ etc. Cf. *Schumacheri* vitam Adami Siberi p. 59 sq.

nionem cum Christo ducantur, uno mediatore inter deum et homines, monstrare videtur, vinculum, quo schola et ecclesia sint coniunctae, esse omnium arctissimum. Quum enim ecclesia sit „congregatio sanctorum, i. e. eorum, qui Christo fidem habent, in qua evangelium recte docetur et recte administrantur sacramenta", certe hoc extra omnem dubitationem positum esse videtur, neminem posse in illam communionem duci, nisi educatio respondeat doctrinae ac finibus ecclesiae. Quod quamquam hodie ab aliis, quorum numerus in dies crescit, satis intellectum ac probatun est, nihilo tamen secius alii sunt, qui horrore quodam perfundantur, si quis contendit, si unquam, hisce ipsis temporibus maxime esse necessarium, ut educatio christiana accommodata sit certae doctrinae ac finibus ecclesiae. Neque vero dico de iis, aut qui omnes ecclesias abrogari velint, aut qui religionem christianam in eo ponant, quod non est christianum, aut qui paucis parvisque fragmentis ac frustulis eius sint contenti, sed dico de iis, qui fateantur, redemtionem generis humani per Christum, aeternum dei filium, factam se agnoscere, aversari tamen terminationes, quibus doctrina verbi divini ab ecclesia definita ac circumscripta est. Hi enim pariter atque nos postulant quidem atque flagitant, cum ut christiana sit educatio, i. e. ut ea, quae scriptura sacra tradit docetque, mentibus animisque puerorum mandentur, tum ut nostrarum scholarum discipuli vinculi, quo coniuncti sint cum ecclesia, sibi conscii fiant; at, quum nondum esse veram ecclesiam existiment, sed futuro demum tempore conditum iri sperent, institutionem ac disciplinam, qua de nos agimus, a nostris temporibus ducunt longe alienam. Agimus enim de educatione — quam ecclesiasticam nominaturus sum — quae non in eo acquiescat, ut in universum fides ac vita christiana in discipulis excitetur, alatur, confirmetur, sed etiam id agat, ut constitutae evangelicae ecclesiae vitam spiritumque ita animo imbibant, ut sui cum illa vinculi sibi fiant conscii; de educatione, quae id consequi studeat, ut adolescentes sentiant, suam ecclesiam non quaerere christianam veritatem, sed possidere ac profiteri, et hanc ipsam ob causam summae perfectionis quasi semen in se ferre; denique, ut breviter dicam, de ea educatione, quae tum demum satis fecisse sibi videatur, quum adolescentes in academiam transituri proxime et secundum scripturam sacram plurimi

aestiment carissimamque habeant confessionem augustanam, ecclesiae nostrae chartam magnam. Quod qua via ac quo ordine sit sequendum, quaestio est, qua nulla gravior; verumtamen id uberius exponendum mihi non sumsi, operae pretium me facturum esse arbitratus, si hac scribendi opportunitate oblata rationem reddam, cur statuam, hisce ipsis temporibus educationem christianam largos laetosque fructus ferre non posse, nisi sit eo, quem dixi, sensu ecclesiastica. Nam id ipsum alii affirmant, alii negant, ad praesentem ecclesiae conditionem provocantes. Nostram enim aetatem a nulla re magis abhorrere aiunt, quam a fidei confessione, angustioribus finibus circumscripta; quapropter antiquam istam, quae libris symbolicis contineatur, non modo non retinere ac conservare, sed novam gignere ac creare studere, quae quidem in unam omnes conciliet societatem, qui propter notiones religionis christianae diverso modo animis informatas ac conceptas nunc sint separati: nihil igitur vehementius desiderare quam sublatis fidei confessionibus adhuc valentibus ecclesiam nationalem, quam dicunt, quin universalem. Id autem, sic enim pergunt, quo modo melius potest effici, quam si genus hominum educatur, quod, aversum ab omnibus controversiis dogmaticis, simplicibus scripturae sacrae praeceptis, quae variam explicationem admittant, intimo ex animo sit deditum. Atque profecto tantum abest, ut discidia, quibus ecclesia hodie perturbatur, aucta velim, ut nihil sit, quod malim, quam tolli ista universamque Germaniam in unam ecclesiam conciliari, doctrina scilicet evangelii non violata. Verum enim vero haud scio an adolescentium, ducum olim ac custodum populi christiani, educatio, qualem illos velle modo diximus, ad illum finem assequendum vere conferre non possit.

Ac primum quidem, quum homo in excolendis animi atque ingenii viribus pendeat a rebus extrinsecus obiectis, et posterius quodque genus in humeris quasi omnium priorum stare debeat, educatio iuventutis omni firmo ac certo fundamento carere existimanda est, quae non rerum cognitione, sed solis mentis notionibus nitatur. Quod quidem principium ea via ac ratione satis probatur, qua ad literas iuventutem instituimus. Neque enim scholarum esse existimamus, discipulos rebus imbuere, quae non sunt, quarum notiones tantum mente concipiuntur, imo nobis id esse propositum arbitramur, ut fundamentum accuratae doctrinae ponatur

et mentes animique adolescentium excolantur intuendis, considerandis, intelligendis iis, quae a veteribus maioribusque sunt sensa, cogitata, facta, a deo iis impertita. (Principium igitur, quo omnis institutio nitatur, historicum esse cum aliis statuimus. Imbuenda et initianda est iuventus ingenio ac moribus classicae, quam dicunt, antiquitatis, quae fundamenta artium et literarum iecit, deinde evangelio, quod novae creationis instar totum veterem mundum renovavit, postremo menti animoque carissimorum maiorum patrumque nostrorum. Eruditio igitur, quam hoc modo in se recipiunt, est et mere humana, et christiana, et nationalis. Quod principium si tenetur, ea omnia, quae potissimum recentiore aetate scholis nostris opprobrio sunt data, ad nihilum, opinor, recidunt. Quae enim criminationes in eas sunt prolatae, earum gravissimae sunt, vel quod notitiam rerum plurimarum sine ullius rei scientia praebeant, vel quod eruditio ingenio nostrae gentis proprio non conveniat, vel quod schola et ecclesia scissis evangelium literis graecis latinisque ita postponatur, ut satius fuisse videatur, Christum nobis latinam graecamve grammaticam aut commentaria in Platonem reliquisse quam evangelium.) Deinde principium illud verum esse agnoscimus in omni re omnique vitae conditione. Quis est enim, quin concedat, qui domum non habeat, quam amare didicerit, in eo ne patriae quidem inesse posse amorem, vel eum, qui suae nationi non adhaerescat, etiam alienum esse ab illo animo, quo totius mundi se incolam et civem cum laetitia atque voluptate sentiat, vel eum, qui non certa quadam imagine picta delectetur, multo minus ipsa picturae arte delectari posse. Ecclesiae vero eadem est ratio: fieri enim non potest, ut iuventus ullius ecclesiae amore inflammetur, nisi ecclesiae, quae vere exstat, divinam doctrinam spiritumque coelestem et perceperit et cum amore complectatur. Id, opinor, omnes concedent. An, si ante omnia id agendum putes, ut ecclesiae doctrinam detrectes, ut dicas pueris et adolescentibus: cui addicti estis ecclesiae, ea nititur fundamento admodum infirmo; fides, quam confitetur, est partim certe falsa, superstitiosa, speras, eos inflammatum iri amore novae cuiusdam ecclesiae, quae qualis futura sit, nemo satis cognitum habeat? Imo, quum iam arbitrentur, se longe ultra patres sapere, neque maiorum fidem et doctrinam cognoscere magnopere desiderabunt, nec novam illam ecclesiam valde

curabunt, quae, si verum fateri volumus, nulla est. Contra perducas eos illuc, ut intelligant, quae sit natura ipsorum ecclesiae; quam vera sint quamque certa, quae impugnantur; quam conveniens scripturae sacrae summa argumentumque confessionis; quam facile sit eam impugnare, quam egregium, eam diligere; quam profunda, quam potens pollensque antiqua illa fides; quantos, quam egregios, quam largos fructus et olim tulerit et nunc ferat: non solum in veteris ecclesiae cognitione libenter se abdent ac collocabunt, sed ideam quoque perfectioris ecclesiae summo animi ardore amplectentur. Atque quantopere arrogantia adolescentium aleretur, si fidem patrum aut disertis verbis detrectares, aut certe tam frigido cum animo traderes, ut sentirent, te ipsum eam non summi aestimare. Quum multum referre iudicemus, cognitum habere adolescentes, homines fuisse, per quos novum et abundantissimum velut humanitatis ac doctrinae flumen super hominum genera se effunderet, ab iisque decere discere, dedecere vero eorum opera minutius ac scrupulosius scrutari ac detrahere, praeceptor officio suo male fungi existimaretur, qui Homerum ita interpretaretur, ut discipuli carminis absolutionem perfectionemque non modo non sentirent, sed adeo incitarentur ad vituperanda ea, quae parum haberent perspecta. Quod si ita est, num decere arbitremur, fidem patrum carissimorum, qui ex dei verbo ecclesiam regenerarunt, quibus optima quaeque ac summa, quae ex eius emendatione sunt orta, debemus, quibus et ingenium inerat vere germanum et christiana fides ac vita uberrima, ad quos homines nostrae memoriae vel sapientissimi, iustissimi, fortissimi ut pueri infantes ad viros validos, quorum corrigias qui solvamus, non sumus digni — cuius enim fides tantis tentationibus tantisque laboribus probata est quantis fides Lutheri? — eorum, inquam, fidem detrectare num decere arbitremur coram iuventute, cuius fides christiana aut nulla aut certe exigua etiam est? At, dicas, longe abest, ut detrectem eorum fidem, ut praecepta ecclesiae alia plane omittam, alia ex mea accipiam et explicem sententia. Verum, ut de hoc uno dicam, num licet ecclesiae confessionem ita negligere, ut opiniones privatae tradantur tanquam certa ac probata ab ecclesia praecepta? Philologiae praeceptoribus lex scribitur, ut caveant, ne importent a se ipsis cogitata et sensa in libros interpretandos et

explicandos, ne suum ipsorum animum mentemque affingant rebus ac personis historicis, quas depingant, itaque si quis Platoni rationem res humanas divinasque considerandi tribueret, quae ei est prorsus aliena, vel si quis de Sophocle iudicaret non ex legibus veteris tragoediae, sed ex iis, quales sibi hodierni tragoediarum auctores finxerunt: ab omnibus, quorum sanum est iudicium, improbaretur. Num vero in rebus ad ecclesiam spectantibus agendi ratio est comprobanda, quae in quolibet alio genere improbatur? Num licet certae ac constitutae ecclesiae fidem ac doctrinam affingere, quam non profiteatur? Ut nihil dicam de fraude, cuius quem non pudeat, qualis ac quanta rerum ac notionum oriretur confusio! Finge modo in omnibus nostris scholis praeceptores singulos tradere ac docere suas ipsorum opiniones tanquam suae ecclesiae praecepta; quid inde prodiret? Suas quisque opiniones quamvis diversissimas pro vero protestantismo haberet, et serius ocius miscerentur ac turbarentur omnia ita, ut difficillimum esset ordinem restituere. At, quod modo posui, id proh dolor! videmus esse factum. Namque quae qualisque sit fides apostolica, quae qualisque sit fides ecclesiae nostrae, id non paucos homines doctos perspectum non habere, innumeris potest demonstrari exemplis. Ac quantopere praecepta ecclesiae a suis civibus hodie corrumpantur et in peius fingantur, id vix est credibile. Sic, ut nonnulla certe afferam, a non paucis natura protestantismi in eo ponitur, ut ius praebeat contra omnia vel plurima, quae scriptura sacra continet, protestandi. Doctrina porro de peccato originali non raro ita proponitur, ut non innatum, sed a deo concreatum videatur; ut ecclesia docere videatur, hominem bestia inferiorem ne redemtionis quidem per Christum factae esse capacem, quamquam ex iis, quae ecclesia declaravit, satis elucet, peccatum illud cerni in eo, quod homo, parentibus peccato obnoxiis natus, quum a natura sui ipsius studio sit plenus*), *per se ipsum ac sine Christo* verum timorem, veram cognitionem, verum amorem dei (qui sit verus amor, cf. Matth. XXII, 37—39: *ἀγαπήσεις κύριον τὸν θεόν σου ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ*

---

*) Plat. Legg. VII. 808. D.: *ὁ παῖς πάντων θηρίων ἐστὶ δυσμεταχειριστότατον. — διὸ δὴ πολλοῖς αὐτὸν οἷον χαλινοῖς τισι δεῖ δεσμεύειν.*

*σου.* — — *ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν*) habere non possit, cf. August. Conf. II. XVIII. Ita quum doctrinam ecclesiae corruperint, non est mirandum, quod hac ipsa doctrina hominem malum reddi dixerunt, quamvis appareat, eum, qui intelligat, quam altas in se peccatum radices egerit, non posse, quin omnem superbiam immodicamque sui aestimationem deponat, sanctitatem acerrimo studio sequatur, redemtionem per Christum factam totam faciat suam. Fidem denique, qua sola hominem ecclesia confitetur a deo iustificari, i. e. conscium sibi ac certum fieri, peccata sibi propter Christum esse remissa seque propter Christum in aeternam cum deo communionem receptum, ac si sit purus ab omni peccato, alii confundunt cum fide, qua in universum vera existimantur, quae scriptura sacra tradit, alii definiunt fiduciam in meritum Christi, quae sit mater altrixque ignaviae ac nequitiae, alii aliter, cf. vero Apolog. Conf. p. 175 ed. Baumgarten.: *„Der Glaube, welcher für Gott gerecht macht, ist nicht allein dieses, dass ich wisse die Historien, wie Christus geboren, gelitten etc., das wissen die Teufel auch; sondern ist die Gewissheit oder das gewisse, starke Vertrauen im Herzen, da ich mit ganzem Herzen die Zusage Gottes für gewiss und wahr halte, durch welche mir angeboten wird, ohne mein Verdienst, Vergebung der Sünde, Gnade und alles Heil, durch den Mittler Christum.“* Apol. p. 71. ed. Has.: „Haec fides non est otiosa cogitatio, sed *novam vitam* in cordibus parit et est opus spiritus sancti.“ Luther. praef. ad epist. St. Pauli ad Roman. (ed. Walch. T. XIV, p. 114): *„Glaube ist ein göttlich Werk in uns, das uns wandelt und neugebiert aus Gott* (Joh. 1, 13)*, und tödtet den alten Adam, machet aus uns ganz andere Menschen von Herzen, Muth, Sinn und Kräften, und bringet den heiligen Geist mit sich. O es ist ein lebendig, schäftig, thätig, mächtig Ding um den Glauben, dass unmöglich ist, dass es nicht ohne Unterlass sollte Gutes wirken. Er fraget auch nicht, ob gute Werke zu thun sind, sondern, ehe man fraget, hat er sie gethan, und ist immer im Thun. Wer aber nicht solche Werke thut, der ist ein glaubloser Mensch, tappet und siehet um sich nach dem Glauben und guten Werken, und weiss weder was Glaube noch gute Werke sind, wäschet und schwatzet doch viel*

*Worte vom Glauben und guten Werken.* *G l a u b e i s t e i n e l e b e n d i g e, e r w e g e n e Z u v e r s i c h t a u f G o t t e s G n a d e, s o g e w i s s, d a s s e r t a u s e n d m a l d a r ü b e r s t ü r b e.* *Und solche Zuversicht und Erkenntniss göttlicher Gnade machet fröhlich, trotzig und lustig gegen Gott und alle Kreaturen, welches der heilige Geist thut im Glauben. Daher der Mensch* *o h n e Z w a n g w i l l i g u n d l u s t i g w i r d,* *jedermann Gutes zu thun, jedermann zu dienen, allerlei zu leiden,* *G o t t z u L i e b e u n d z u L o b, d e r i h m s o l c h e G n a d e e r z e i g e t h a t,* *also dass unmöglich ist, Werke vom Glauben scheiden, ja so unmöglich, als Brennen und Leuchten vom Feuer mag geschieden werden.“* Apol. p. 73: „Offendit quosdam particula *sola* (iustificari hominem *sola* fide) — — — — Excludimus autem opinionem meriti. — Dilectio et opera sequi fidem debent, quare non sic excluduntur, ne sequantur, sed *fiducia meriti dilectionis aut operum* in iustificatione excluditur.“ Quin adeo pietas eorum, quibus sola fide gratiam divinam se impetrare persuasum est, appellatur a quibusdam impia pietas tenebrionum. Et tamen apostoli, quos Christus salem terrae ac lucem mundi nominavit, quibus universus terrarum orbis summa debet beneficia, eorum sunt antesignani ac choragi, cf. Rom. III, 28: *λογιζόμεθα γὰρ δικαιοῦσθαι π ί σ τ ε ι ἄνθρωπον, χ ω ρ ὶ ς ἔ ρ γ ω ν ν ό μ ο υ.* III, 23: *πάντες ἥμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης θεοῦ, δ ι κ α ι ο ύ μ ε ν ο ι δ ω ρ ε ὰ ν, τῇ αὐτοῦ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὃν προέθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι.* Ephes. II, 8: *τῇ χ ά ρ ι τ ί ἐστε σεσωσμένοι δ ι ὰ τ ῆ ς π ί σ τ ε ω ς, καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν· θεοῦ τὸ δῶρον· ο ὐ κ ἐ ξ ἔ ρ γ ω ν, ἵνα μή τις καυχήσηται,* cf. Matth. XX, 28. XXVI, 28. Ioh. I, 29. III, 14—16. 36 et all. II. Atque propter hanc fidem et per eam Lutherus summus Germaniae exstitit praeceptor; propter hanc fidem et per eam auctor exstitit sermonis patrii, quali nunc gloriamur; propter hanc fidem et per eam carmina cecinit sacra, quae sunt exempli instar in omnia secula; propter hanc fidem et per eam nullum opprobrium, nullum laborem, nullum periculum timuit; propter hanc fidem et per eam potentiam fregit papatus invicti *).

---

*) Qui videre cupit, quantopere in ipsis libris, institutioni evangelicae iuventutis ad religionem christianam destinatis, hic illic hodie adhuc adhibitis, doctrina scripturae sacrae ecclesiaeque nostrae corrupta ac depravata sit, eum delegamus ad libellum, a *Billrothio*, viro praeclaro, ecclesiae praematura morte rapto, scriptum: *Beiträge zur wissenschaftlichen Kritik der herrschenden Theologie, Leipzig, 1831.*

Educatio autem, quam laudamus, eo magis est necessaria, si verum est, quod nunc quidem in incerto relinquam, fore, ut hac aetate ecclesia illa, de qua supra diximus, revera constituatur. Etenim qui arbitratur novari unquam ecclesiam ita posse, ut fidei confessio proponatur, quae ecclesiasticam doctrinae biblicae explicationem negligat, is quin gravi errore ducatur, dubitari non potest. Nam neglectis octodecim, per quae exstitit, seculis ecclesia ad initia sua revolvi ac de integro explicari nec potest, nec, si fieri posset, liceret. Quod qui negaverit, is facere non poterit, quin et demonstret ecclesiam in evolvenda explicandaque scripturae sacrae doctrina plane atque omnino destitutam fuisse spiritu, quem promisit Dominus suos in omnem veritatem esse ducturum, et contendat, animis hominum non inesse studium, ea, quae vel extrinsecus exceperint vel in se ipsis experti sint, mente comprehendendi ac percipiendi. Quorum neutrum quemquam facturum esse putaverim; atque illud quidem non faciet, quum ita a deo trino mundum regi esset coactus negare, hoc non audebit, quum neminem fugiat, quo maius ac mirabilius quid sit, eo magis hominem impelli, ut in id inquirat. Iam vero quid maius, quid mirabilius est, quam quae verbum dei tradit, quae credentes in se experiuntur? Qui enim per fidem dei verbum in se receperit, ei tam nova res humanas divinasque considerandi ratio, tam mirabilis magnificusque quasi mundus se aperit, ut non possit non iterum iterumque omnia et singula pertentare penitusque pernoscere. Porro, ut hoc utar, scriptura sacra de uno deo, de filio dei, de spiritu sancto ita sermonem facit, ut ingenium humanum naturam suam deponere cogatur, si in rationem, quae inter eos intercedat, investigari vetetur. Quodsi ecclesia quaedam periculum faceret se ita renovandi, ut doctrinam verbi divini, neglecta eius explicatione ecclesiastica, primoribus quasi labris gustaret et extremis, ut dicitur, digitis attingeret, alterutrum fieret: aut fides evangelio habenda converteretur in obscuros sensus affectusque, quorum non est magnum pretium, aut, quas pugnavit ecclesia pugnas, easdem etiamsi alia forma ac specie repeterentur, nisi veternus eam occuparet. Hoc ipsis tentaminibus, quae nuperrime sunt facta, satis superque confirmari, non est, quod dicam. Neque reformatio, quae dicitur, a Luthero esset perfecta, si ille gubernatam esse a spiritu sancto per secula ecclesiam non credidisset

eaque opinione ductus explicationem doctrinae biblicae ecclesiasticam plane neglexisset; quod quidem ille nec fecit nec facere voluit. Quamvis enim ecclesiam emendare ac regenerare vellet ex solo dei verbo, tamen non statuit in omnibus ad initia rei christianae esse redeundum, imo ea tantummodo renovanda curavit, quae verbo dei repugnarent. Namque ut taceam de forma reipublicae christianae, de ritibus sacris et aliis, quod attinet ad doctrinam, symbola catholica non modo non repudiavit, sed tota conservavit ac diserte retinenda esse censuit. Quare si hodie ex verbo divino — alio enim modo renovari non debet — nostrae ecclesiae tentetur renovatio, tantum abest, ut, quae a patribus magna virium contentione investigata sunt et proposita, negligi debeant, ut conservanda sint omnia, quae, quemadmodum arbor ex semine procrescit, ramos gignit, folia, flores, fructus, sic iusto ordine procreverunt ex verbo divino, nihil vero sit reiiciendum, nisi quid cum illo pugnat. Quod si verum est, nonne maximi refert, adolescentes et in republica et in ecclesia summa olim suscepturos munera, imbui iis, quibus summa argumentumque confessionis ecclesiae continetur, praesertim quum esse videamus, qui rerum divinarum scientiam, quam in scholis sibi paraverint, augere et confirmare parum studeant. Qui enim non cognovit percepitque, qua ratione doctrina biblica per secula sit explicita, quae sit origo ac vera natura suae ecclesiae, qui sit nexus eam inter et ecclesiam omnium seculorum, qui, quod etiam gravius est, non ipse est expertus, quanta altitudo sit quantaque vis fidei ecclesiae, is ne idoneus quidem est, qui de quaestionibus, quae ecclesiam movent, faciat iudicium.

At, quos supra diximus educationi ecclesiasticae non favere, ii non pauca esse dicunt, in quibus confessio ecclesiae non consentiat cum scriptura sacra. Quare transeundum nobis est ad id, quod omnium est gravissimum, educationem christianam propter id ipsum esse debere ecclesiasticam, quod ea verbo dei suum ius tribuat itaque in veram cum Christo communionem alumnos ducat. Ac primum quidem constat, ecclesiae nostrae scripturam sacram ita esse unam summam fidei ac vitae regulam, ut „verbum dei condat articulos fidei et praeterea nemo, ne angelus quidem“ (Artic. Smalcald. p. 308.), ut ex ea et conciliorum ac pontificum decreta et philosophorum placita et patrum

et neotericorum scripta sint metienda, ut quodcunque scripturae sacrae repugnet, id repudietur (cf. Formul. Concord. ab initio). Item constat, Lutherum in ecclesia tantum, quantum praeter apostolos neminem alium, effecisse nulla alia re, quam quod verbo divino ita ut nemo neque ante eum neque post eum se totum subiecerit omnique sua ac reliquorum doctorum auctoritate reiecta ad ipsum Christum populum christianum delegaverit. Verum enim vero non solum verbis proposuit ecclesia formale illud, quod dicitur, principium, unicam fidei ac vitae regulam normamque esse scripturam sacram, sed etiam re hoc principium invicta fortitudine ita secuta est, ut non minus, quae verbo divino repugnarent, repudiaret, quam quae illo docerentur, sua faceret. Nam fundamentum, centrum, finis omnis vitae eius est ille unus Christus, quem evangelium praedicat, qui est heri ac hodie idem atque in aeternum (Hebr. XIII, 8). Quo etiam factum est, ut ecclesia nostra ab initio sibi esset conscia, sibi esse victoriam de ceteris ecclesiis certam idque propositum, ut ecclesia catholica, i. e. universalis, fieret. Neque errare mihi videor, si nostram ecclesiam rigida quadam severitate excellere dicam, qua ne unum quidem accipere velit, quod cum verbo dei pugnet, quid quod illa quasi emortua orthodoxia, quae aliquamdiu in ea regnum obtinuit, qua confessio purae doctrinae, quamvis vita et factis non probaretur, tamen plurimi existimaretur, inde est repetenda, quod ecclesia nihil aliud propositum habebat, quam ut puram evangelii doctrinam profiteretur, praedicaret, defenderet. Atque, quamvis saepenumero dictitatum sit, tamen *a nemine adhuc certis argumentis demonstratum ac confirmatum est*, summam argumentumque confessionis ecclesiae evangelicae repugnare verbo divino. Verumtamen etsi ecclesia semper gloriata sit suam confessionem divini verbi esse quasi vocem repercussam, id tamen non fecit ita, ut doctrinam omnibus numeris esse absolutam putaret, imo semper, qua est natura, conscia sibi fuit, immensas verbi divini divitias se non modo non exhausisse, sed ne unquam quidem posse eas exhauriri*). Ac consulto quidem discerno hoc loco doctrinam et

*) Luth. serm. conviv. p. 12 ed. Förstemann.: *„Ein einiges Wort in der heiligen Schrift auszugründen und gar tief zu erholen, ist unmöglich, Trotz geboten allen Gelehrten und Theologen! Denn es sind des heiligen Geistes Wort, darum so sind sie allen Menschen zu hoch, und die neugeborenen Christen haben nur die Erstling, und nicht den Zehenten.“*

confessionem: in persona enim Christi divinam humanamque naturam perfectissimo modo esse unitam; nos sine ullis nostris meritis aut dignitate, ex mera gratia, tantummodo propter Christum a deo salvari in numerumque filiorum dei adoptari; Christum in sacra coena revera esse praesentem cum omnibusque se communicare et credentibus et non credentibus, posterioribus tamen ad suum ipsorum iudicium (I. Cor. XI, 27. 29.), ea et quae sunt similia, pertinent ad confessionem; contra quae vel nunc proponuntur vel proposita olim sunt ad illa exponenda, confirmanda, inter se nectenda, ea sunt doctrinae. Quum summa argumentumque confessionis tam aeternum sit, quam ipsum verbum divinum, ex quo fluxit, doctrina, quam dico, pro temporum varietate varia est, imo quum veritas evangelii inexhausta sit semperque novas expertura impugnationes, varia esse debet. Atque nostro quidem tempore et oportere et opus esse, interiores et quasi reconditos scripturae sacrae thesauros rursus aperiri, ac doctrinam ecclesiae varias in partes excoli, quis est, qui neget? At, si qui aversantur ecclesiae confessionem, dicant et fateantur sibi ipsis, utrum re vera offendantur propterea quod verbo dei omni ex parte assentiantur, quod verbo dei omnibus in rebus libere et ingenue se subiiciant, an propterea quod alia ex verbo divino aperte repudient, alia non e sententia prophetarum, evangelistarum, apostolorum, sed ex sua ipsorum sententia, ex suo ipsorum arbitrio interpretentur. Quum non liceat singula enarrare et examinare, ex quibus appareat, eos non omni ex parte verbo dei niti, satis esto, nonnulla ex iis, quae sequuntur, principiis commemorare. Cogites enim modo de discrimine, quod statuitur inter literam et spiritum, quo plerumque, ratione ad veritatem revocata, per literam significatur cogitatio scriptoris sacri, per spiritum interpretis *); cogites de eo, quod dicunt, aut scripturae sacrae doctrinam tam esse ambiguam, ut, quod praecipiat,

---

*) *„Der Ausdruck Geist und Buchstabe spielt in der Theologie seit der Mitte des vorigen Jahrhunderts eine sehr bedeutende Rolle. Schon die Entlehnung desselben aus der bekannten Stelle 2. Cor. 3, 6.: der Buchstabe tödtet, der Geist aber macht lebendig, ist ominös. Denn dort ist von ganz andern Dingen die Rede, als wovon die Citirenden sprechen: nämlich, dort ist der Buchstabe das Gesetz, der Geist aber das Christenthum in seiner concreten Gestalt, wo das Gesetz als solches durch den Glauben aufgehoben ist u. s. w.“ Billroth, l. c. p. 33.*

certo sciri non possit*), aut doctrinam scripturae propter ea, quae in rerum natura ab hominibus doctis investigata sint, non omnibus partibus posse probari**), aut eam secum ipsam pugnare***), aut quae Christus locutus sit, ea secernenda esse a doctrina apostolorum, qui quaedam falso intellexerint †), aut apostolum ipsum hortari, ut omnia examinemus et optima quaeque teneamus I. Thess. V, 21., quibus verbis adversus et contra sententiam apostoli (cf. *de Wette* ad hunc locum) ius sibi datum putent probandi ex scriptura sacra, quae sibi ipsis placeant, improbandi, quae displiceant, et quae sunt alia. Contra qui sincero animo ecclesiae confessionem amplectuntur, ii non modo, quaecunque in evangelio praecipiuntur, accipere, probare, profiteri non reformidant, sed

*) Luther.: *„Es ist auf Erden kein klarer Buch, denn die heilige Schrift; die ist gegen alle andern Bücher gleichwie die Sonne gegen alle andern Lichte.“* Opp. T. V. p. 456. *„Das ist wahr, etliche Sprüche der Schrift sind dunkel, aber in denenselben ist nichts Anderes, denn eben, was an andern Orten in deren klaren, offenen Sprüchen ist.“* T. V. p. 457. Cf. Beste, Dr. *Martin Luthers Glaubenslehre u. s. w.* 1845. p. 12 sq. Atque notum est, catholicam ecclesiam negare, affirmare nostram, scripturam sacram tam perspicuam esse, ut certo sciri possit, quae in ea doceantur, quae reiiciantur.

**) Quod quam parum verum sit, de ea re cf. K. v. Raumer, *Kreuzzüge,* 1840. I, 93—185 (ubi de geologia, astronomia, anthropologia et scriptura sacra agit): *„gerade die geologischen Thatsachen, welche am Gewissesten und Unzweideutigsten auszulegen sind, harmoniren mit der Bibel; es sind jene Thatsachen, welche die Sündfluth bezeugen. — — — Dagegen sind keine geologischen Thatsachen aufzuweisen, welche an sich der Bibel widersprächen; ein scheinbarer Widerspruch kann nur von ganz unreifen Hypothesen kommen, die man mit eitler Voreiligkeit auf einen ganz unvollständigen Thatbestand baut. — — Gründliche geologische Untersuchungen — führen zurück zur heil. Schrift, oberflächliche dagegen von ihr ab“ (S. 118.).* J. H. Kurtz, *die Astronomie und die Bibel,* 1842. p. 9.: *„die ächte Wissenschaft und vornehmlich die Naturwissenschaft hat sich zu allen Zeiten in Wahrheit unter das Wort der Offenbarung gebeugt, ist immer fern davon gewesen, ihre Resultate Sturm laufen zu lassen gegen die Offenbarung; alle Zweige der Naturwissenschaften erfreuen sich täglich einer grössern, klarern und gewissern Uebereinstimmung mit der heiligen Schrift.“*

***) *„Das ist nicht die Art, die göttliche Schrift glücklich zu verstehen und auszulegen, wenn man verschiedene Stellen aus verschiedenen Orten zusammenraffet, ohne auf den Zusammenhang oder Vergleichung zu sehen; ja es ist das der gemeinste Weg und Weise, in der Schrift zu irren. Es muss also ein Theologus, wenn er nicht irren will, die ganze heilige Schrift vor sich nehmen, und das, was widrig lautet, gegen das andere halten und wie mit den zwei Cherubim, die gegen einander stunden, dennoch die Einheit der Verschiedenheit in dem Mittel des Gnadenstuhles herausbringen; denn sonst wird eines jeden Cherub Gesicht das darauf gerichtete Auge vom Gnadenstuhle wegführen, d. i. von dem wahren Verstand Christi ableiten.“* Luth. Opp. T. XV. p. 1865.

†) Cf. vero Luc. X, 16. Joh. XVI, 13. 14. Caeterum si demonstratur, Christi verbum et apostolorum doctrinam inter se minime differre, iidem, qui hoc negant, mirum in modum aut sciri non posse dicunt, num Christus ea ipsa locutus sit, quae evangelistae ei tribuant, aut provocant ad accommodationem et alia.

hanc ipsam ob causam, quod ea accipere et probare non reformidabant, ecclesiae confessionem sincero animo amplectuntur. Atque tantum abest, ut educatio ecclesiastica aut altissima ac gravissima scripturae sacrae praecepta negligat aut verbis eius sensum affingat, quem non habeant, ut ea ipsa ingenue ac libere iuventutem ad verbum dei ut ad unam summam fidei ac vitae normam deleget in communionemque cum vero Christo ducat. Cui addendum est, id quod non parvi est momenti, hanc educationem cavere, ne institutio ac disciplina sit methodistica, quae dicitur. Etenim qui verbo dei in animo recepto aliquid sentire coepit illius divinae tranquillitatis et beatitatis, quam fides apostolica praebet, is in aliis pietatem in deum christianam excitaturus et confirmaturus, facile in educandi rationem incidit, qua semini sparso germinandi, crescendi, maturescendi spatium non praebeat. Quo fit, ut a principio nihil ei antiquius, nihil gravius sit, quam ut pii sensus affectusque in animis iuventutis excitentur, quod quidem se assequi posse arbitratur crebris iisque intempestivis hortationibus, precibus, obtestationibus, obsecrationibus. Quae quidem educandi ratio ingenio cum puerorum tum adolescentium, quibus varia de rebus divinis dubitatio affertur, taedium affert animumque obtundit, quin efficit, ut speciem pietatis vultu prae se ferant, ex animo non sint pii. Ecclesiastica vero, quam dico, educatio quamvis ea minime excludat, quae hunc ipsum in finem instituta sunt, ut pii sensus in animis excitentur et alantur, ut dei cultus etc., neque abstinere nos iubeat admonitionibus et cohortationibus, aliena tamen est ab illo importuno impetu, quo semini sparso spatium non datur sensim sensimque maturescendi. Quum enim id unum habeat propositum, ut iuventutem deducat ad integram evangelii doctrinam, ab initio ac praecipue id agendum esse putat, ut intelligat eam iuventus ac cogitatione comprehendat, quod, quae est eius altitudo, tantummodo sensim sensimque fieri potest. Veritatem enim extrinsecus exceptam nemo certo possidet, nisi eam cognoscendo, percipiendo, perspiciendo in se receperit. Quod tamen non falso intellectum velim. Neque enim probaverim educandi rationem, quae omnia fecisse sibi videatur, si quasdam notiones dogmaticas, quae dicuntur, menti memoriaeque iuventutis mandaverit, sed eam dico educandi rationem, qua cognitio paratur, quam scriptura sacra intelligit, quum dicit,

eam esse vitam aeternam, ut deum cognoscamus et eum, quem miserit (Ioh. XVII, 3); cognitio igitur, qua animus movetur, totus quasi homo penetratur. Ac profecto quum omnia, quae ingenium percipere studet, pectus quasi auscultet, tum veritas verbi divini, quod summas divinae gratiae divitias vimque spiritus sancti in se fert, ita comparata est, ut non possit quisquam in eius cognitione se totum abdere, quin non minus mens collustretur, quam animus tacite moveatur, voluntas sanctificetur. Deinde qui totus verbo dei nititur, is, quamvis loquatur tantummodo quia credit (II. Cor. IV, 13), tamen quum fidem non tanquam suam, sed tanquam ecclesiae fidem tradat, nec nimium timet nec nimium sperat. Neque nimium sperat, quum noverit, fidem, quam ex verbo dei ecclesia profiteatur, non esse cuiusque (II. Thess. III, 2); neque nimium timet, quum haud nescius sit, verbum, quod seminis instar in animos spargatur, eius esse verbum, cuius corpus est ecclesia, per quod quasi sanguis eius vitalis diffundatur, quo eius gloria in aeternum manifestetur. Quamobrem confidit, fore, ut, si minus in omnibus, in nonnullis certe semen sparsum serius ocius largos ferat fructus, cf. Marc. IV, 26—29*).

Ad quae accedit, quod educatio ecclesiastica aeque eam vim habet, ut iuventus a subiectivismo, qui quasi tabes animos invasit, liberetur, atque efficit, ut necessitudinis, qua cum credentibus omnium temporum coniuncta teneatur, cum voluptate ac laetitia sibi fiat conscia. Neque vero quum subiectivismo laborare nostram aetatem dixi, intelligi volui laudabile illud studium,

---

*) Quod Löhe *drei Bücher v. der Kirche* p. 120 de verbi divini ministro dicit, id etiam omnino valet de praeceptore: *„Im grossen Vertrauen auf das göttliche Wort verschmäht er (der kirchliche Prediger) jeglichen Methodismus. — — Nicht die Unruhe der Erweckung ist es, worauf er ausgeht, sondern der Umschwung göttlicher Gedanken. Gleichwie die Berufung zur Erleuchtung fortschreitet und jeder Fortschritt im innern Leben durch einen Fortschritt der Erkenntniss bedingt wird; so sucht er auch vor allen Dingen die heiligen Gedanken des göttlichen Wortes dem Gedächtnisse, der Anschauung, dem Wohlgefallen, dem innersten Wesen seiner Zuhörer recht nahe zu bringen. Auch er verwirft die Gefühle der Menschen nicht, aber er erregt sie durch stilles Verhalten des himmlischen Lichtes, oder vielmehr, er lässt dies Licht leuchten und weiss dann gewiss, dass mit dem Strahle auch Wärme ausgeht. — — Sein Dringen und Nöthigen ist nicht das Dringen und Nöthigen menschlicher Ungeduld, sondern das geduldige Ausharren bei dem Worte. Er wartet gern und weiss, dass die köstlichen Früchte nicht über Nacht wachsen."*

doctrinam scripturae sacrae animo ita infigendi, ut eam non tanquam rem externam, aliorum auctoritate sola nixam possideat, sed ita teneat, quasi cum natura sua coaluerit; ut eius originem vimque divinam prorsus percipiat; ut ea quasi aër sit, quo tota vita sustentetur. Id enim non modo non est vitium, sed virtus summa, quam quidem virtutem evangelica ecclesia ab ipso suo principio a suis poposcit. Etenim ipsa illa fides, quam unam vocat iustificantem, aut radices egit firmissimas in animo, aut non est illa fides, cui ecclesia vim hominem coram deo iustificandi adscribit. Neque ignorat ecclesia illum animi habitum, quo lex divina non amplius aliquid externum, sed per fidem ita animo inscripta sit, ut voluntas hominis cum dei voluntate sit una. Quin adeo loquitur de habitatione dei in credentibus, cf. Libr. symbol. ed. Has. p. 698: [damnamus sententiam] quod non deus ipse, sed dona dei duntaxat in credentibus habitent. At negat ecclesia, hominem per se ac sine Christo fontes summae sapientiae ac vitae divinae inexhaustos in se habere, neque ipse Christus nos ullo loco delegat ad nos ipsos, dicens: in vobis quaeratis fontem sapientiae, amoris erga deum, pacis cum deo, imo ubique ac luculentissime se eum esse dicit, a quo solo et uno divinam sapientiam accipere possimus, per quem solum et unum voluntas sanctificetur, animus tranquillus beatusque fiat, cf. Matth. XI, 27 sq.: *οὐδὲ τὸν πατέρα τις ἐπιγινώσκει, εἰ μὴ ὁ υἱὸς καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι.* Ioh. XIV, 6: *ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς καὶ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή· οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα εἰ μὴ δι' ἐμοῦ.* XV, 4. 5: *καθὼς τὸ κλῆμα οὐ δύναται καρπὸν φέρειν ἀφ' ἑαυτοῦ, ἐὰν μὴ μείνῃ ἐν τῇ ἀμπέλῳ· οὕτως οὐδὲ ὑμεῖς, ἐὰν μὴ ἐν ἐμοὶ μείνητε. — — χωρὶς ἐμοῦ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν* et all. ll. Qua de causa ecclesia flagitat, ut ad unum omnes Christo se subiiciant eique ut creatori novae vitae totos se dedant. Profecto igitur nostra aetas, quod a tali fide, quae ab aliorum auctoritate sola pendens neutiquam intimo animo informata sit, aversa est, summas laudes mereretur, nisi cum vero multa falsa amplexa esset. Illius enim morbi, cuius supra mentionem fecimus, haec est natura, ut ad sui quisque animi studia ac voluntates omnia metiatur atque priusquam res ipsas cognoverit, iam afferat notiones quasdam ac leges, quas sibi ipse finxit atque praescripsit, ex quibus de illis iudicet. Qui morbus quomodo in omnibus fere rebus vim suam exerceat, quamquam persequi utilissimum est,

tamen, si de aliis ac de divinis rebus nunc dicerem, egrederer fines terminosque, quos mihi constitui. Quum ecclesiae doctrinam diligentissime apud animos suos perpendere, atque, ut verum inveniant, omnes in utraque parte calculos ponere; quum in verbo divino tanquam in speculo sese ipsos intueri et quid maculae sibi inhaereat, spectare; quum eas, quas de rebus divinis habent sententias, ad scripturae sacrae normam ac regulam exigere debeant: praecipiti ac praematuro iudicio ea, quae verbum divinum docet, suarum opinionum modulis ac ponderibus examinant atque aestimant. Cuius rei quum multae sint causae, tum haec non minima est, quod, quum nec naturam peccati perspexerint, nec satis considerent, uti quamlibet aliam ingenii facultatem, sic rationem quoque, qua divina percipimus, ea lege homini ingenitam esse, ut, nisi extrinsecus excitetur, maiorem vim non nanciscatur, rationem facultatem idearum esse mirum in modum ita dicunt, ut ideas credant esse notiones animo innatas atque ab ipsis primordiis iam absolutas ac perfectas. Verum iam ab aliis monitum est, hanc opinionem omni ratione esse destitutam, nisi cum Platone statuatur, extitisse animas suique ipsarum sibi conscias fuisse, prius quam humanis corporibus includerentur. Sed redeamus ad id, quod ex illo hominum nostrorum studio profectum est. Inde enim nata est conditio ecclesiae, quae nunc est, non satis dolenda! Illa enim re fit, id quod opinioni, quam de notionibus veri ac boni animo innatis iisque in se absolutis ac perfectis habent, minime convenit, ut nihil fere sit, quod ab omnibus iudicetur verum, ut suam quisque religionem sibi facere suasque agendi leges scribere sibi sumat; ut ratione, quae inter verbum divinum ac genium seculi intercedit, prorsus inversa nostra aetas mores suos ingeniumque non modo non metiatur verbo divino, sed eius ipsius iudex sedeat, itaque iudicet, dicat, agat, quasi diversa inter se sint verbum dei ac spiritus dei, atque veritas christiana animis mentibusque omnium aut certe plerorumque hominum, qui nunc vivunt, ita sit infixa, ut, quaecunque sentiant, cogitent, cupiant, ea omnia effluant e spiritu sancto. (Si enim, ut quidam dicunt, scriptura sacra fons fidei ac vitae christianae ita est, ut ei ratio, in quam idea christiana penetraverit, anteponenda itaque scriptura secundum opiniones, quae seculum teneant, explicanda sit, necessario statuendum est, et fermento evangelii po-

pulum christianum nostro tempore prorsus ac penitus esse imbutum, ut, quaecunque nostrae aetatis homines sentiant, cogitent, cupiant, christiana sint, et verbum dei ac spiritum dei inter se diversa esse.) Eandem ob causam homines fidei confessionem flagitant atque exposcunt, eiusmodi verbis conceptam, ut etiam ab iis probari possit, qui fidem christianam abiecerunt. Inde denique fit, ut antiquam ecclesiae confessionem non modo non cum pietate quadam exquirant, verum consulto accuratam ac diligentem cognitionem eius fugiant. Quod seculi studium omnia ex suo arbitrio iudicandi, metiendi, formandi, si in iuventute quoque alitur, educantur homines lingua prompti atque feroces, mentibus parum acuti, qui omnia sui ingenii modulo examinent, quae non satis explorate perceperint et cognoverint, ea tamen summa insolentia aut probare aut reiicere audeant, denique divina atque humana omnia permisceant. Quare nihil magis nobis curae cordique esse debet, quam ut adolescentes, qui olim columnae, lumina ornamentaque reipublicae ecclesiaeque futuri sunt, studio illo pernicioso liberentur. Quem ad finem tamen institutio ac disciplina parum proficiet, ubi ea opinione imbuuntur, nullam esse veritatem obiectivam (utendum enim est verbo philosophorum), quae divino iure, ut ab omnibus accipiatur, poscat. Gignetur autem atque aletur institutione ac disciplina in iis haec opinio, si non sentiunt, tradere praeceptorem non suam, sed ecclesiae fidem, non suo ipsius nomine, sed nomine ecclesiae, quae aeterno Domini verbo satis perspicuo ac luculento condita est. Quod si non sentiunt, quam perverse de revelatione divina iudicabunt! Nam quae esset revelatio divina, si tam imbecilla esset, ut non posset societatem hominum coniungere, quae fidei communione contineretur? Aut quae esset divina revelatio, si tam obscura, tam ambigua, tam incerta esset, ut ecclesiae confitendum esset, divinam evangelii veritatem esse eam, quam sibi quisque fingat? Atque si iuventus opinatur, quomodo quis evangelii doctrinam accipere velit, pendere ex ipsius eruditione, ex ipsius vitae conditione, ex ipsius animo, tum evangelium ei videbitur non verum falso, non divina veritas humanis erroribus, sed opinio incerta incertis opinionibus ex adverso posita, ac sibi quisque ius datum esse censebit ex suis notionibus mente ante conceptis probandi aut improbandi, quae sibi placeant. Quare nisi institutio ac disciplina

